

13 HENRY III.

1228.

[m. 12.]

De custodia episcopatus Londoniensis.—H. Dei gratia etc. militibus, liberis hominibus et omnibus aliis tenentibus de episcopatu Londoniensi, salutem. Sciatis quod commisimus dilecto et fideli nostro Alexandro de Dorsete episcopatum Londoniensem, vacantem per mortem E. quondam Londoniensis episcopi, custodiendum quamdiu nobis placuerit. Et ideo vobis mandamus quod in omnibus que ad predictum episcopatum pertinent, eidem Alexandro tanquam custodi nostro intendentes sitis et respondentes, sicut predictum est. In cujus rei testimonium etc. Teste J. Bathoniensi episcopo apud Westmonasterium, xxxj die Octobris, anno regni regis xiiij.

De quietantia perambulationis.—H. Dei gratia etc. omnibus ad quos presentes littere pervenerint, salutem. Sciatis quod milites, perambulators de perambulatione foreste facta in comitatu Eboraci inter partes ejusdem comitatus que deafflostande erant et partes que foresta remanere debebant, secundum libertates contentas in carta de libertatibus foreste quas concessimus probis hominibus nostris Anglie, venerunt coram nobis et recognoverunt quod ipsi in perambulatione illa erga nos per ignoranciam et errorem transgressi fuerunt, et super transgressione illa sibi a nobis petierunt veniam indulgeri. Unde nos transgressionem illam eis duximus omnino remittendam; ita quod ipsi vel heredes sui a nobis vel heredibus nostris inde in aliquo non possint occasionari in perpetuum. In cujus rei testimonium etc. has litteras nostras patentes eis fieri fecimus. Teste J. Bathoniensi episcopo, apud Westmonasterium, xxxj die Octobris, anno regni nostri xiiij.

De presentatione.—Rannulfus Brito habet literas directas archidiacono Cantuarie de presentatione ad ecclesiam de Bocton, vacantem et ad donationem regis spectantem ratione archiepiscopatus Cantuariensis vacantis et in manu regis existentis. Teste rege, apud Wigorniam, ut supra.

Dominus rex, ad concessionem Magistri Hamonis persone ecclesie de Sautwud, dedit Magistro Henrico de Bissopeston ecclesiam de Sautwud, vacantem et ad donationem regis spectantem ratione archiepiscopatus Cantuariensis vacantis etc. percipiendo de ecclesia illa, nomine personatus, annuam pensionem unius bisantii; salvo predicto Magistro Hamoni nomine perpetue vicarie toto residuo ejusdem ecclesie quoad vixerit. Et diriguntur litere archidiacono Cantuarie quod ipsum Magistrum Henricum ad eandem ecclesiam admittat etc. Teste rege, apud Abbendon, j die Novembris.